

Cap. IV. S. Mainulfus ab Antistite Badurado ingenuè educatur.

Puer autem *Mainulfus* sub jure Scholari ad disciplinam dispositus literarum, ex dispositione ascendit ad habitum earum; & quod scientiæ literalis habuit, usu operis devotus excoluit. Quippe quia vitam quæ ducit ad vitam, artam & angustam existere scivit, jam de tenero ungui studijs asperioribus mentem formavit. Nam ut quidam docet:

*Qui sudet optatam cursu contingere metam,
Multatulis fecitq; puer, sudavit, & alfit:
Abstinnit vino & venere.*

Cùm autem excederet è scholis, excessit etiam desiderium mundani honoris; integrâ mente migrans ad propositum Canonici legis, in loco qui dicitur *Paterbrunno*. Hic cum ejusdem loci Pontifex, ipse quidem virtutum gloriolus artifex, nomine *Baduradus*, benignissima cura nutriendum susceptis susceptumque largissimo paternitatis & gratiarum sinu refovit.

Cap. V. Baduradi Episcopi encomium; S. Mainulfi profectus.

Sed quia res monuit & locus, non gravabimur saltem unum recitare indicium de hujus Pontificis virtutibus. Ecce, XXVII. annis post sepulturam ejus exactis, vestes quæ cum eo sepulchrum subierant, ita integræ, & sanæ apparuerunt, ut nec una fimbria ex eis legem pateretur putredinis. Quæ res liquidò exprimit, quod ipse vivens *Integer vita, scelerisque purus*

M 4

purus